



Universitätsbibliothek Paderborn

Benedicti Ariæ Montani Hispalensis Poemata

In Qvatvor Tomos Distincta

Humanæ salutis Monumenta, & Odæ variæ

Arias Montano, Benito

Antverpiæ, 1589

In tabulam Christi ad victimam vltrò oblati. Ode Tricolos Tetrastrophos.
LIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44973

MONUMENTA.

63

Tantum terrigenis decus
Et deducta polo munera porrigi.
Namque ritibus annuis
Abrami soboles feita peregerant,
Contestata iugum graue, &
Depullos dominos, & miserum metum,
Euasique maris diem,
Extinctasque minas fluctibus impias;
Veris nunc eadem modis
Instaurata nouat, qui patris integrum
Consors imperium tenet,
Qui vitam proprio numine sufficit,
Defectumque animat genus.
Hic se se gregibus dum esurientium,
Arcani specie latens
Panis, suppeditat; dumque rubentia
Vini pocula sanguine
Occulto at proprio praebet auentibus,
Quicquid mentibus improbus
Ac membris coluber subdiderat mali,
Et quam scire malum petens,
Mater perniciem fuderat inuidio
Fatalique nepotibus
Pomo, visceribus corrigit intimis;
Et lethi remouet iugum,
Et dat posse bonis perpetuis frui.

CELATVM SECVLIS ARCANVM.

Has epulas, queis vita Dei, queis munera Christi
Conciliantur, ames, si sapis; ut capias.

DEI BENIGNITATI ADMIRANDAE S.

In tabulam Christi ad victimam ylro oblati.

Ode Tricolos Tetrasphos. LIII.

Qvi solus omnes immeritus iuat
Noxas parentum, & crimina posterum,
Nunc agnus orbi postulatus,
Ipse animam iugulunque praebet.
Namque ante priscis ritibus hostiæ,
Quæcumque cultros imbuerant sacros,
Nec crimen expedire nostrum,
Nec poterant mala dimouere;

Nos

62 HUMANAE SALVTIS

Noh si secundo à sideribus die

Armenta, quotquot vel pecudes tulit:

Tellus, ad aras obiulisses

Ignibus assiduis calentes.

Nam quæ sub alti cardinibus poli

Humana præster munia quadriupes?

Vel mentis exæquet valorem,

Vel pretio solidante ponat?

Vras auaris ignibus omnia

Omenta semper, non veteris tamen

Consumis vñā & membra Adami,

Semina vel male nata tollis.

Quid quòd nec illis viuida spiritus

Concessa vis, est, qua valeant semel

Exstincta respirare in auras,

Atque nouam repetisse lucem?

Possent recepto munere quamlibet

Exstare, & artes induerent nouas;

Non illa partes attulissent,

Aut animas rediuiua nostras.

Atqui vetustis debuit arribus

Occisus æquas pendere noxijs

Pœnas, & exsurgens probanda

Iustus homo rediisse vita.

Ergo efficaci munere duplci

Instructus agnus, qui que valet mortis.

Rurisque viuens emicare,

Atque sibi sociale mundum;

Hic, (omne nostrum qui superat genus)

Firmat volentis consilium Dei;

Et sponte productus, nocentum

Facta hominum subit expianda.

PUBLICA VICTIMA.

Maxima mortalis qui ferret pondera culpæ

Asportanda, unus Christus & Agnus erat.

SACERDOTI AETERNUM
VNCTO S.